LAVDATIO IACOBI PVTEI CARD. AMPLISS.

Venerando Collegio. I. C. Mediol. dicata.

A Francisco Scantio.

Collega.





VI Puteus a me ſuperiori Quinquennio ſummis honoribus maximoq; laudum præconio fuerat ex honeſtiſs. cauſa intra Peruſinos parietes celebratus non parua animi mei letitia, iijdem hodierno die, mutato ſtilo, variato Orationis genere, interciſis clauſulis, perturbata dicendi ſerie, luctuoſo contextu hodierno fato, ſub triſti vultu, pallida facie, pauido ſpiritu, lugubri habitu, ſqualido dicendi, & orandi modo, inter gemitus, & lachrimas, heus, venit cohoneſtãdus deplorandus, peramare lugendus, vt patitur humana fragilitas, o rerum varietates, o ſortis viciſſitudines, o temporum permutationes, mores infeſtos, ac infauſtos, dum exequias tanti patris purpurati in magna eccleſia celebrari pie video, dum curari illuſtriſſimum funus religioſe ſentio, dum parenta-

A lia

lia peragi sancte intueor, omniaq; atrata, funesta, & pullata ab omni parte prospicio, totus in lachrimas diffundor, totus in timorem, & tremorem conuertor, vniuersum corpus meum distillanti sudore manare, mananti aqua distillare sentio, libetq; inclamare, & deplorare vulnus, iacturam non mediocrē hodie grauissimo dolore apud omnes exceptā. O lubricam, & fragilem humanæ vitæ conditionē, qua tunc maxime deserimur cum viuere est dulcissimum, vt parto fruamur tandem labore. O inanes nostras falsasq; cogitationes, quibus eo magis secūdis in rebus decipimur, quo certiore spe quadā fucata nobis applaudunt, date amaras lachrimas sitientes omnes, quia extincto puteo, non amplius ad recentissimos aquarum riuulos liceat vobis recurrere, deplorate enixe admodum letale vulnus vos fessi, lassi, omnesq; defatigati animi, quia sublatis de medio aquis recentibus non deinceps ad Puteum iocundum vosmet recreare, reficere mentes, restaurare labores erit permissum, febricitantes, ęstuantesq; præ imoderato, & incomposito ardescentis ęgritudinis vrente calore, habitum vulnus, exceptam plagam indefessi deplorate, flete, continuo lugete, qui tanto refrigerio, tam optimo remedio orbati, & defraudati existitis hodie: vos cęteri Auditores si mortē eius audieritis, cuius vita summis Regibus, Principibus grata, & chara semper extitit pro meritis, quam Pōtifices Opt. Max. continua serie ampliss. sūmis honoribus, maximis fauoribus honorificentiss. dignitatibus, augere decorare locupletare

cupletare nunq̃ destiterunt, nolite obdurare corda exasperare animos, exacerbare mentes, sed mecũ vos ad fletum pręparate, interim ad Sarcophagum quem video paulo vlterius, lachrimantibus oculis me pię cõuerto, libetq; mortuos sic vocitare. O vos patris, & matris meę dulcissimæ ossa arida, pulue rulenta, iam quę hic sepulta prope iacetis consum pta in spem futuræ resurrectionis, quo tempore an gelica canet tuba, & mortui resurgent incorrupti, audite querelas, lachrimas, & fletus quos triplices cordis, oris, & oculorum triplici de causa, hodie in funebri insolita pompa huic sponte exhibita con cessa, vobis alias denegata iure merito exhibeo, o stẽto. Amissi Illustrissimum patrem, amisi pariter, & Protectorem maximum, amissi patronum optimũ quem vobis in amore parem, in obseruantia longe maiorem habui: non mirum, caro, & sanguis, vos etiam inuitos, & quodammodo nolẽtes, instinctu & impulsu quodam naturæ fouentibus igniculis me amare coegit, compulit, astrinxit, hunc purpu ratum patrẽ sola paterna affectio, spõtaneus amor voluntaria dilectio, largitas studiorum par profes sio, a seipso inuitauit, traxit, allexit, omnia in volun tate posuit quæ vos in necessitate collocastis. Quã obrem noli parens optima quæ clare semper vixi sti, clara nomine, pariter & moribus, hoc meũ piũ institutum accusare lauda excusa, non accusa Cusa na genitrix, quod a Pio proficiscitur, hoc tempore filio, noli tu pariter Petre martir parens piissime ex probabili facto laudabili me dignum pœna marti

rio iudicare non enim, ex petra stabili, & fere incõcussa, generatus fuit filius varius, inconstans, mobilis qui non eodem amore patronum, eadem obseruantia mortuum, quem, & viuentem prosequi debeat, nihil debet mors, ex amore, & obseruantia pristina diminuere, noli itaq; Scanti excandescere noli irasci, noli indignari, nec inuchi si quod mei erat officii, libentissime promptissimaq; opera praestiti, tam maximo patri purpurato, quem omnes & amare, & suspicere tenebantur: Quis nescit considerato triplici capite, antiquiss. illius Platonis, népe, nobilitatis, magnitudinis atq; vtilitatis grauiter molesteq; acceptam iacturam esse perferendam & si vllo vnq̃ tempore vlla opportunitate deplorandum fuit aliquod fatum istud praecipue prae omnibus pie lugendum venit ex maximi tum animi tũ corporis praestantissimis dotibus; omitto vitae sanctitatem, morum integritatem incorruptam sacerdotii ꝓfessionem, acerrimam sanctę fidei defensionem, ex qua iuremerito inconcussus cardo fuit appellatus taceo animi integritatem bonarum rerum studium optimarum artium pfectam cognitionem literarum, ac virtutis summa quę in se gerebat ornamenta nullum verbum facio de eius in absoluẽdis negotiis summa diligentia mira ingenii celeritate exacti iudicii acrimonia subactae memoriae prõptitudine vastae nostrae legalis scientiae optima eruditione, adeo vt probabiliter omnes admirarẽtur, obstupescerent, venerarentur, viri excellentiam, clamitarentq; cum muliere Samaritana, alta, & intrepida

voce

voce hic Puteus altus est, altus consilio, prudentia, doctrina, altus scientia, experiẽtia omni bonarum rerum, & scientiarum genere, altus fide religione, charitate, summa continentia, hic testis est celebratissimus, & fidissimus, sacrosanctæ Romanæ Rotæ æquissimum Tribunal, cui in continuo labore, diurnis, & nocturnis vigiliis interfuit, per quindecim Annos continuos pręfuit, & quãdoq; adeo integre incorrupte, & fideliter, tam indefessus, tam diligenti opera solerti studio, diligẽtissimo officio, vt recte ornamentum, splendor, & decus, quinimo lampas sacrosanctę Rotę appellaret'. Testis est pariter apostolica Camera, quæ peritiam, & summam Iacobi Putei sciẽtiam, sępius, & sæpissime in grauissimis negociis perarduisq; causis fuit experta, quo tempore sub moderamine Ioannis Marii de monte, tunc Auditoris Cameræ, postea Cardinalis amplissimi tẽporis demum progressu, Pont. Max. ꝓbabiliter creati qui Iulius tertius fuit appellatus, quis nescit Iacobi Putei sapientissimis remis totam nauem tunc tẽporis impelli, cuius responsis omnia stabant, & cadebant, eiusdem peritissimi viri testimonium offerre potest locupletissimum tota Romana Curia, quę cõmuni dolore pręsentem cladem vna mecum deplorat, subtristis, funesta, mutato habitu, variato pallio. Verum quem ex Principibus nostræ ætatis nunc orans asiscam, vocabo, queram? ad te itaq; me conuerto te alloquor, te interpello, Emanuel Philiberte, Princeps Serenissime, dic mihi ĩgenue de more tuo, dic quæso, quoties in perarduis causis, in dif-

ficilibus negotiis, istius Putei altitudinem, latitudinem, profunditatē sensisti, cognouisti, laudasti, approbasti, fuisti expertus: demum iucundissime illũ admiratus es. quotiens aquam saluberrimam inde hausisti, vtroq; tēporis pacis, & belli ex ea feliciter bibisti. quibus omnibus sic in vnum congestis, mature consideratis, diligentissime trutinatis, libet aliquantulum (pie tamen, & religiose) hanc fati inhumanitatem, sęuitiam modeste incusare, obiurgare, reprehendere. quamobrem sęuissima hostis, immanis mors, male fida bonis, fallacissima mulierum, falsissimæ mendacissima, qua perfricta fronte, quo audacissimo vultu, qua insolenti arogantia, temerarias in hũc purpuratum Patrem iniecisti manus? falcem extendisti inhumanam? ferrum acuisti crudele? quomodo quæso, hanc aquam hausisti cum in quo haurias non habes? profecto quę corporis sũt externa, vana, fluxa, & fragilia, si modo bona dici possunt, hoc tuo imperio ambitioso, tuo ferro inhumano tuo iugulo iugulantur: huic sunt obnoxia subiecta subdita: que autem animi sunt pręstātissimæ partes propria dona perpetua bona, & cęlestia interni hominis munera; hęc tuam rabiem tuum furorem inhumanissimum vincunt superant ei q; omnino dominantur imperitant: nec tua hydria falsa funes ambitiosi elusoria cathena instrumēta vana, ne quicq̃ possunt: ad istum cælestem puteum minime accedere audēt possunt valēt. Quomodo itaq; (vt dicta repetam) hanc aquam hausisti cũ in quo haurias non habes? Huius aquæ salubritate suaui-

tate,

tate, & amęnitate quam effudebat, altus Puteus irri gatus fuit totus fere, & restauratus vniuersus terra- rũ orbis. Hãc sensit (vt altius fundaméta repetã) Sã- ctissimus Paulus tertius Pont. Opt. Max. qui pro- bitate, & perspecta eruditione tanti patris cognita illũ in Rotę Auditoré Sanctiss. delegit cooptauit, ascripsit omnibus suffragantibus, refragante nemi- ne optimisq; titulis insignitũ deinde reddidit quo saluberrimo istius aquę liquore omnia recẽntia, & sitientia prata litigantium clientulorum omnes cõ tétiosi agri potissime irrigarentur, & hoc post mul tos labores priuatos euenit quos multis annis Iaco bus Puteus in Romana Curia degens, varijs Cardi- nalibus prestitit, presertim Cardinali Anconitano cui multis annis indefesso labore Auditoris officiũ impendit integerri: hanc amęnitatem successiue Iu lius tertius Beatiss. Pater cognouit qui degustata iã toties superioribus annis, vt dixi amęnitate Putei, & summis viri ornamentis illum in Archiepiscopũ Bariensem summo totius ordinis consensu deinde in patrem purpuratum maxima sui gloria delegit, quo eius expurgato cõsilio exacto iudicio, grauissi ma auctoritate, sacrosanctum purpuratorum cõsi storium locupletius redderetur tãtoq; viro decora- tum, & insignitum redderetur. O sanctam, & vene- randam Iulij tertii pietatem, o vrnam fęlicissimam memoria hominum pectoribus semper conser- uãdam quantum tibi debet debebitq; infuturum pręsens ętas præsentia secula q virtutes in homine tanta liberalitate fueris remuneratus: quę calcaria,

quo

quos igniculos quas ſcintillas veri amoris mēti Doctiſſimorum virorum in ſtudio virtutis currentium iniecisti: quandoquidem tantum pręmium virtuti poſitum eſſe videtur rurſus quantum Romana Sancta Sedes tibi tribuit q; tam inconcuſſo cardine firmiſſima columna illam adiuuandā, coroborādam cohoneſtādam, pro communi vtilitate cenſueris tibi ſummum vale, tibi vltimam ſalutationem, cum ſumma felicitate, & perpetua beatitudine imprecatur omnis ętas, & poſteritas, ex tam ſancto, & pio facto quid poſtremo dicam de Paulo quarto, & Pio nunc Sanctiſs. Paſtore, qui duo Pontifices cognita Putei altitudine, & profunditate ſemper maximis negotiis detentum habuerunt occuparunt modo ſignaturæ gratiæ (quam vulgo dicunt) modo iuſtitiæ præfecerūt grauia ardua ſumma quæq; negotia illi cum ſumma fiducia committentes atq; concredentes dicebat Paulus ſapientiſs. ſenex, ſub oculis Iacobi Putei Cardinalis ſolere tutiſſimis oculis dormire, ex hoc itaq; ſuauiſſimo aquarum ductu, & guſtu, omnes potabant, omnes bibebant Iacob ſummus Pont. Pater credentium filij Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Pij, & religioſi alumni deſcendentes bibebant pecora eius. illi qui imperitia, & rudi conſilio noui in cauſa non prompti, nec expediti, ſed tardi pigri inertes dura colla ſubijciebāt ſeq; inuitos ſub iugabant verū proficiſcente ex Iacobo Puteo Cardinali, tanq̄ ex Delphico oraculo docta reprehenſione pia reſponſione humana animaduerſione paterna piaq; obiurgatione ſtatim reſcipiſcebant inſa

ni

ni conquiescebant furiosi reprimebantur ad sanos mores reuertebant̃, statim, illico, dicto citius, quot reuocasti ꝑteruos, doctrina Pater amplissime quot frenasti effrenes sacto exēplo quot domuisti indomitos quot rudes optime docuisti, monuisti, instruxisti sedula opera, vigilanti studio ob tuas animi ꝓstantissimas partes, dotes, virtutes excelsas, arguūt mihi oranti sacrosancta quæ video pēdere pro, rogo insignia, quid innuit, Galerum purpureum, tuæ dignitatis potissimum insigne, nihil aliud profecto q̄ summam patris purpurati caritatem, amorem, dilectionem qua in deum Opt. continuis horis flagrabat, estuabat, sic igneus color pręse fert de quo scriptum est, ardescat igne charitas, quid argumentat̃ gemmata illa quam video erectam, candida, mitra tota pura tota simplex, variis īterclusis gemmis exculta, ex ornata variata hæc vna ligamen, & nexū, docet potissimum inter Iacobum Puteum, & S.R.E. qua alter alteri desponsatus erat in puritate colligatus, & integritate, morum, scriptum est enim de illius pōso Dilectus meus cādidus, & rubicūdus ideo sponsus quia qui sponsam habet sponsus est, successiue me conuerto ad crucem sanctissimā quam expositam, pie video religiose contemplor, flexis genibus saluto, cernuus hæc mihi religionem ostēdit, pietatem clare docet amplissimi Cardinalis nostri, hoc signo, tutissimoq; vexilloq; seipsum muniebat, armabat, gloriose in hac gloriabatur, in qua ē salus, vita, & resurrectio omnium, perquam saluati, ac liberati sumus, scriptū est enim, in Cruce mea,

gloriabitur Dilectus meus, intueor modo libros circa rogum expoſitos, publice exhibitos, nunc mortuo Interprete, extincto magiſtro, muto doctore, clauſi muti, & tacentes, elingues heus videntur, arguunt mihi ſummam eruditionem, perſpectam doctrinam, ampliſſimi patris, qua vtramq; dignitatē, mitre, & pilei laborum pręmia fuit tādem aſſequutus, ſcriptum eſt ſcrutamini ſcripturas, & veritatem inuenietis, honos alit artes demum oculorum meorum aciem quæ iam feſſa eſt ad ſerpentes propriū inſigne gentilitiæ ſuæ familię conuerto qui potantes ad Puteum declarant mihi prudentiā patris ſcriptum eſt, ęſtote prudentes ſicut ſerpentes, quod mirum Auditores, ſi ex hoc Puteo doctrinæ ſacrarum literarū bibebat Iacob, filii, bibebāt, & pecora eius, memor ſum illius, & vos, Sacri Theologi memores eſſe debetis, ꝙ in ſacra lectione docet, extat lectio de patrefamilias diligentiſſimo, qui vineam comparauit, quam tutiſſima ſepe muniuit, domū pulcherrimā ibi edificauit, tutiſſimā turrim pariter erexit, torcular ad calcandum vinum adhibuit, & cetera queq; neceſſaria pro commoditate conductorum non dimiſit, quam tamen vineam ſic munitam, temere diſſiparunt, neglexerunt, Aſpernati fuerunt, nimis ingrati conductores, non mirū omiſerat ibi tunc locatur (ꝙ miſtice, & ſub latenti ſenſu pietatis dictum ſit) Putei conſtructionem, quem ſi effodiſſet, ſi præparaſſet, in aliud forſitan incidiſſet ſermo, terminaſſet perplexa oratio, hic terminandum mihi eſt, ad exitum enim propero, ad finē feſtinat

sermo meus, luctuosus, vt paucis multa cõplectat, illud pro corolario, & extrema manu pictoris more huic tabellæ, adhibendum censeo, quo in paulo lę tiorem finem pñs desinat contextus noster, illud non omittam quod verissimum credo, iam non ex- tinctum Puteum, non euanuisse aquam, non aridũ factum, quia fidelibus vita mutatur non tollitur, adeo, vt illud idem de Iacobo Puteo sperari possit, quod de Lazaro alias Iesus dixit non mortuus est sed dormit amicus noster, cum dederit inquit sacra lectio dilectis suis somnum, Ecce hereditas domi- ni, sinite ergo, vt a somno excitet illos Deus, in die illa nouissima qua tuba canet, & mortui resurgent incorrupti, Cecini ego hactenus de laudibus Iaco- bi Putei, sed non tantum cecini, quantũ rei magni tudo postulabat, vocor nunc ad illas partes, quæ si bi internę fuerunt, vsq; a puero a Iuuene a prima ę- tate considerabat amplissimus pater, sepissime duo in nobis esse munera diuina, ac prope cęlestia, vtili tate magna, nobilitate primaria, ipso genere pręcla ra, ratio prius, deinde quasi nuncius quidam ratio- nis, quam eloquentiam oratores appellant, & ser- monis interpretationem, illa etenim res abditas, & ocultas, tanq̃ ex armario ac secretiore quodã prõ ptuario, diligenter inuestigat, inuestigatas com- prehendit, comprehensas digerit, & in vnum recte componit, rursus dissipata colligit, collecta diuidit, preterita recordatur, imminentia videt, futura pre saga quadam mente coniectat, & extrema primis conferens, omnium rerum cursum atq; euentum sa

 gacissime

gacissime notat, hæc omnia in illo de quo nunc est sermo, quia ratione Duce regebatur, clarissima extiterunt, qui pro virtute capescenda omnes terrenas facultates dereliquit, postposuit diuitias auitas, & paternas post habuit, quas habebat opes, sicq; Romam accessit Iuuenis satis, qua etate corpora ad labores apte informātur, & formose aptant̃ suppetē tibus viribus, non mediocria habebat bona Alexādrię, & Niciæ, a suis antecessoribus relicta, Platonico more nō curauit commoditates domus, affines, amicos, etiam agnatos, & cognatos, deseruit, quo Romam omnium Ciuitatum Reginam, dominam, ingeniorum altricem, scientiarum alumnam, inuiseret, inhabitaret, adeo inflamatus a seipso, accensus serio virtutum igniculis, vt etiam periculū mortis in longo itinere cōsistens, nō formidauerit quādoq; quinimo iocūdus, abhoruerit voluptates, illecebras corporis, quę dulces sunt ingeniorum meretriculę, pro viribus illa aufugerat, vt alter prudentissimus Vlysses, ne a cantu improbo, Sirenarum applaudentium demulceretur, demulcentiumq; applausu aures obtusas habuit hæc omnia non mira videntur, in homine, literis, & in quolibet genere bonorum studiorū exercitato versato qui sic alios didicit, sic docuit, aliunde sic hausit, ex multorum interpretum traditione muta, ex mortuis magistris hæc in virtute posita sunt, in egestate exercere Iustitiam, in abundantia temperantiam, demum in Iuuentute tollerantiam sustinere, quę ætas a tolerātia procul abesse solet, vbi loci illi studioso viro, in

literis

literis nõ mediocriter exercitato, inciderũt, de abiu dicandis facultatibus, de propinquis, & amicis re linquendis, de appetenda morte, de amplectenda humilitate, de contemnendis honoribus, de volup tate fugienda, de condonandis, & remittendis Iniu rijs, de animo componendo, statim inflamatur ho mo a se ipso quibus sic eruditur, vt & vita, & mori bus compositus extet. O felicis: & vberrimos stu dij flosculos, redolentes, flagrantes, spirantes sua uissime. O feliciores, ac vberiores fructus Nectaris, qui tantum possunt, & prosunt, vt hominẽ sua for te contentum reddant, Principibus, Regibus, & Im peratoribus gratum, exoptatũ, efficiant, omnibus charum, amabilem vniuersis, patrię vtilissimum, cu ius domus, est oraculum totius Ciuitatis, cuius ope ra summi viri indigent, cuius studium requirunt, cu ius opem omnes auide explorant, memor sum illi us, quod sepissime Presul noster amplissimus iacta re solebat, se nunq̃ minus solum esse, q̃ cum solus erat, Scipionis Africani dictum in ore habebat, iam non illam solitudinem dicebat esse, quæ in varijs li brorum cumulis versabatur, interpretum aceruis consistebat, nonne tũc solitudo excutitur, & exclu ditur, ab animo, cum inter mortuos interpretes, mu tos magistros, elingues loquentes, diligens studio sus versatur toto pectore, quid magis solitudini cõ trarium, repugnans, quam vna sotietas librorum, optimi auctoris commercium, hic loquimur, mu tuo interrogamur, respõdemus, recreamus animos exhilaramus mentes, sic disserimus, disceptamus,

proponimus, quærimus, concludimus. O solitudinem, omni frequentia frequentiorem, omni populorum conuenru, quolibet cętu magis copiosam, vbinam melius disceptantur, ea quæ ad vitam, ad mores pertinent, quam in dulci studiorum solitudine, vbi grauius illis cõsulitur, qui sibi, suęq; familiæ, & honestati viuunt, q̃ in suauissimis studiorum secretis, & reconditis penetralibus, vbi nam plenius, eloquentius, & copiosius ea omnia inueniunt, adiscuntur, que rempublicam capescentes, ac administrantes debent obseruare, in oculisq; ferre, q̃ in studiorũ remotiori limine, & lumine vbi demũ acrius homo vitia insectatur, virtutem omnibus excollendam melius, ac rectius persuadet, nonne, in libris eorumq;, solitudine, omnia ista hauriuntur, reportãtur, in solitudine salustius breues historias cõscripsit, ĩ solitudine Cicero Tusculanas doctissimas edidit, in solitudine diuus Hieronymus maxima, & ingeniosa conscripsit, inter solitudines degens Augustinus diuus librum admirabilem de soli loquio in seriem redegit, vbi alio in loco q̃ in solitudine, Horatius, Ouidius scripsit, relegatus postea iussu Augusti Cæsaris, Plinius prope ripam fontis adhuc extantes, nonne Boętius aureum librum, de cõsolatione in solitudine, Turris, Carcere detentus cõscripsit, & ceteri omnes conscripsere doctissime, ingeniosissime, elegantissime, intra solitudinem, omnia bona omnia pulcherrima, extra solitudinẽ mala periculosa, teterrima quecunq;, ex quibus omnibus effectũ est vt inter Primarios suæ etatis Docto-

res

res Iacobus Puteus fuerit ab omnibus vocatus quã primum, ex solitudine in qua diu delituerat cæpit ad commune beneficium prodire cuius grauissima responsa, sale condita admirabãtur, ac obstupesce-bant omnes, quis non in illius consilijs verborum granditatem, maiestatem rei, splendorem, sumope re laudabat commendabat, ad astra vsq; euchebat, quis erat adeo rerum imperitus, causarum ignarus, qui nõ probabiliter, existimaret sentẽtias, grauiss. acutas crebras, ex abdito erutas, nõ emedio sũptas, diuinitus potius q̃ humanitus, excogitatas adinuẽ tas, pronunciatas, adeo vt aureum quoddam flumẽ oratione sua, ad instar alterius Aristotelis effunder̃ videretur, dicebat grauiss. vir, illum sępius vsq; a pu ero acriter ad continua studia vehemẽtius compu lisse, auream illam cathenam, quam ex ore Hærcu lis Gallici pendere, antiquiss. rerum scriptores pro diere, hanc eloquẽtiam ipse vnus asserebat qua ho minum cętus, & multitudines sibi deuinxerat, relin quo ego dedita opera, vt breuitati studeã, quidqd dixer̃ Poete de Orpheo, & Amphione, cuius rei mi sterium eloquentię potiss. ascribendum est si latẽ tia in fabulis secreta diligentius detegere volueri mus, hæc omnia ad excolendam vitã moresq; exor nandos Ampliss. Patris purpurati nostri plurimum valuere, verũ eninuero, quia nihil reperitur adeo ex omni parte quadratum, perfectum, & beatũ, quod nõ maleuolorũ, imperitęq; multitudinis morsibus, maculis ledatur denigretur, pũgatur siue in aliquo offendatur, nam etiam de Deo quandoq; insulse cõ

questus

questus, est fatuus dixit insipiens in corde suo non est Deus, iccirco decreui hac mea funesta oratione, illud vnũ quod vitio dabatur Iacobo Puteo Card. breuibus in medium afferre audite queso, sed ęqui ore animo intelligite, etiam veriss. responsionem, reprehendebat mordaces aliqui leues temerarij homines, tarditatẽ huius pręsulis, qua in negotiis decidendis, causisq; terminandis, vtebatur non enim q; differtur ideo aufertur, nec ex hoc natura, mores, & professio iudicis, damnanda, accusanda, siue aliquo modo reprehendenda venit, non iccirco professio legalis quę incorrupta, & integra esse debet in qualibet sua parte vitium aliquod meret quid boni est (vt ingenue fatear) q; non abutentis vitio, culpa, & reatu in malum verti possit, magistratus qui pro repub. constituenda, & tuenda publice creant nonne interdum malitia, nequiss. populi pessundantur opprimuntur, negliguntur, nec ideo minor esse debet magistratus grauitas, axipharmacha, potiones, & varia salubritatis medicamẽta, quę nõ bene purgato stomacho, nec bene disposito corpori imprudenter adhibentur, solent quandoq; obesse, mortẽ accelerare, & valde nociua ęgro corpori existunt, ergo ideo magistratus creari non debet, ergo medicinę cognitio, vt inutilis damnanda venit, nõne vt paulo altius exordiar, Sol, Luna, Terra, Ignis Aqua, Aer, Stellę, & cętera quæ mira velocitate in Cælis retorquentur solent quandoq; ab imperita multitudine ex accidenti vituperari damnari, sine quibus tamen, nec homo, nec mundus subsistere

possit

posset sic in proposito intentiones nostræ dilatio prorogatio, procrastinatio, litium causarum, vitio, sollicitantium causata, culpa procuratorum genita clientulorum insana, & imperita consuetudine, nō debet famam, honorem, existimationem, boni iudicis in aliquo damnare, nec eius authoritati detrahere, immo semper eadem apud omnes existit virtus, hactenus de bonis, quę nobis literarū vna exercitatio affert, dixisse pleno ore sufficiat, nunc ad secretiora, & magis recondita animi bona, ad proprias dotes interni hominis, indagandas vlterius, pede propius accedamus quæ nobis insunt, nobiscum viuunt, pariter, & moriuntur, in nobis tantū, & in solo extremo naufragium iacturā patiuntur, quę quanta extiterint, floruerint, viguerint, inconcussa semper permanserint, in Iacobo Puteo Card. Amplis. de quo agitur in nostra Oratione, nemo est qui non intellexerit, hic libet mihi aliquantulū immorari, vt ab illo loco initiū capiam, a quo Salus nostra, & omnium gloria potiss. dependet (de summa in Deum Opt. pietate, & religione, loquor) quæ quanta obseruantia fuerit semper ab ipso exculta, & omni cultu obseruata in maximo honore, & reuerentia habita, Testis est (vt superius dixi) omnis Romana Ciuitas, Testes vniuersi populi qui tantos mores perspectos, satis habebant, sacrosancta Xp̄i D. præcepta, continuo in memoriam reuocabat, de his tractabat, de illis differebat, memoriam habebat, & in vtraq; vicissitudine ad veram anchoram, vt peritiss. nauta confugiebat ab ipso nullo vnq̄ tē-

 pore,

pore, nullo loco, nulla conditione diuellebatur in omnibus dicere solitus erat a dño factum est istud, dñs dedit, dominus abstulit sicut dño placuit, ita factum est sit eius nomen benedictum, in secula, si qd boni eueniebat dicto citius statim, vt principaliori causę, origini censebat illud esse attribuendum, si quid aduersi nullo vnq̃, nec timore, nec terror cõcutiebatur, malis non cędebat, sed cõtra audactior ibat, socratico more semper idem esse videbatur somni viniq; parciss. sobrie, & continenter, viuebat non immemor illius sacri. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria sicq; diu vtranq; incolumitatem cõseruauit, tutus, ab immaniss. occisore crapula quæ multo plures occidit, q̃ gladius, moribus adeo cultus, ac ornatus videbat, vt omnes in sui amorem immanes etiã scythas incognitos barbaros, ex bona fama sponte traheret illud sacrum reminiscebat, modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Ad omnium officium, ad communem populorum vtilitatem natum se esse dicebat, sicq; omnibus inseruiebat promptiss. cuicunq; morem gerebat letiss. petenti erogabat, volens lubẽs sententię summę p̃ceptoris recordabatur, sic luceat lux ṽra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & alibi nemo lucernam accẽdit, & ponit eam sub medio, sed supra candelabrum, ad multum temporis tacitę noctis, vigilare solitus erat pernoctabat, elucubrabatur, in studijs, totus occupatus detentus, ac districtus, cuius temporis silentium ad studia aptissimũ esse solet, sicq; molli somno, mediocriter indulgẽbat

bat,iuxta illud quod in ore omnium extat,a paucis tamen obſeruatur vigilantibus non dormientibus iura ſubueniunt,vigilate (clamat ęterna veritas)iterum dico vigilate neſcientes qua hora , dñs veſter venturus ſit,ſero, repentina media nocte, vel antelucano galli cantu , Platonis temperantiam,moderatosq; animi mores ſepiſs. commendabat,qui iratus in ſerui animaduerſionem noluit reſpicere , nõ ignorabat P. A. ſacrum illud, ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram,iraſcimini nolite peccare, nũq̄ futilia verba vel inania effundebat, nunq̄ nugas loquebatur, verum ſemper agebat ſerio , ſermonẽ ſedulo loquebatur, quantũ honeſtas rei patiebat̃, grauitas cauſę poſtulabat,vrbanitas hominis expetebat,ſale Demoſt. more ſermonem condiebat, ſententiã D. Pauli familiarem pie recitabat, ſcurilitas vaniloquia,turpitudo non ſit in vobis,Recordemini q̃ de omni verbo otioſo rationẽ Deo eſtis reddituri,ſic Reginę omniũ virtutũ iuſtitię quam in oculis gerens,illius amator,& cultor exiſtebat,p̃cipuus adeo erat , vt nunq̄ ab illa,nec latũ vnguẽ diſcrepar̃ ſolitus eſſet , ſingula namq; iuſtitia duce recte moderando metiebatur, agebat,tractabat prudentiſs. abſoluebat, ſacri illius non immemor,diligite iuſtitiam qui iudicatis terram,hæc omnia exactiſs. conſiderando faciunt vt credam nõ abſq; diuino numine tanto ſęnio , tam ingraueſcente ætate cõfectum vita poſtremo deceſſiſſe, quippe qui ſeptuagenarius fere diem ſuũ clauſit extremũ, ad communẽ vtilitatem ſemper reſpiciens,ad quam ſua cogitata tra

ducebat

ducebat atq; referebat, p̄ter hanc septuagenariam ętatē nihil amplius est nisi labor amaritudo, & continuus dolor, sed heus nunc ipsum intueor, p̄stratum, extinctum nihil dicētem, nihil videntem suo pallore deformatū, quē vna mors inuida ereptū nostris obtulit ex oculis, alloquar audiero nę vnq̄ tua verba loquentem, Te ne vnq̄ vita pater amabilior aspiciā post hac, at certe semper amabo, semper męsta tua carmina morte legam, inuitat me suauis tua eloquētia, lactea vbertas qua fluebat oratio tua, doctrina pietatis, religionis, facundię plena quā, adaugebat, innocentia, integritas, incorrupti mores, ex quibus sic sēsibus suis pie gloriabat̄, instabat visū dn̄e vide humilitatē meam & dimitte vniuersa delicta mea, auditu expetebat, audi orationē serui tui ne despexeris eā, odoratu clamitabat, in odorē vnguentorū tuorum cucurri, viam mandatorū dilexi gustum nō omiserat dicendo gustate, & videte q̄ bonus est dn̄s, qui tūc satiabit̄ cum apparuerit gloria tua, sequitur tactus in ordine, tangā dn̄e fimbriā vestimentorū tuorum, & saluus ero. Quidquid postremo P. A. videbat, audiebat, odorabat̄, gustabat tangebat, ad animæ medicinam refferebat, traducebat. Quibus omnibus effecisti recte vt viuēs, in terris magnum p̄mium, in Celis fauēte diuino auxilio æternā habitationē tibi compara ueris, sicq; plenus dierum, & laborum, fæliciter in Dn̄o quieuisti.

Dixi. LAVS DEO.

Romæ apud Antonium Bladum Impressorem Cameralem. Anno 1566.